

mandi difficultate , vel ob Pannonici belli curas , ne in finitima Turcis arce tumultus exfuscataretur , criminis impar vindicta fuit . Philippus vero Paschalicus , legatione e publica dignitate atque utilitate confecta , in patriam est reversus . Senniensium rebus compositis , pacato mari , impensarum vi levata civitate , assiduo metu negotiatoribus liberatis , Turcarum quoque querelæ deferbuere , quæ adeo hoc anno exarserant , ut Mehemetes in Pannonia imperator Venetias cum literis regio obsignatis annulo Zausium mitteret , quibus acerbe admodum , perpetuas injurias ac damna ab ea gente negotiatoribus Turcis summo sui Regis dedecore illata , conquerebatur : cum copiarum parte ad Senniam oppugnandam venturum affirmabat ; constitutum sibi esse , pessimum genus hominum penitus exscindere : ad id perficiendum Venetos socios deposcerre , ut ab iis mari , ab se terra conterriti delerentur . Iis literis Senatu consulto responsum fuerat : quantum ea facinora Reipublicæ displicerent , inde facile semper conjici potuisse , quod non militi , non triremibus , non sumptibus pepercisset . Quod vero de dissidiorum causis amputandis cogitaret , atque ad pacem cum Republica conservandam adeo Bassa animatus esset , illi gratiæ actæ .

Verum ob prosperos eo anno Turcarum in Pannonia successus christianorum Principum animi summis curis sollicitabantur . Cum enim Byzantio in copiarum supplementum Mehemetes duodecim circiter prætorianorum millia Budam misisset , Canisium Bassa contendit ; in itinere Babozum propugnatorum ignavia potius , quam virtute , editione occupat . Sexto idus septembbris ad Canisium castra locat , tormentis quatit . Cæsareani egressi ab aggeribus hostes summovent , tormentis aliquot clavos infigunt , eorum uno intra arcem pertracto . kal. octobris Mercurii Dux , Cæsaris copiarum imperator , ad Muram amnem pervenit ; eo trajecto , obfessis adventus signum edit , Bassam ad certamen provocat . Is absque prælio Canisio potiri posse ratus , aditus omnes , quibus subvehi Cæsareanis copiis vicitus poterat , intercludit , ut tandem non absque ingenti periculo se recipere cogerentur . Quapropter oppidanis , subsidii spe destituti , undecimo kal. novembbris sponte in hostium postea-

Mehemetes
Turcarum imp. de
Uscochorum
incursione
bus cum Venetis con-
queritus .

Senatus
responsum .

Mercurii
Dux , Cæ-
sareanarum
copiarum in
Pannonia
imp.